



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Sacrificia Novi Testamenti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Contigit autem & septem fratres unam cum matre sua apprehensos &c. 2. Machab. 7. 1. O sacrificium illud Abraham majus, præstantiusque sacrificium! ille enim unicum tantum alacri animo obtulit; quanquam unigenitum, & divinitus promissum: hæc autem populum universum filiorum Deo consecravit. S. Gregor. Naz. Orat. de Machabæis.

§. II.

Sacrificia novi testamenti.

Num. I.

Figura. Christus.

In holocaustum. Gen. 22. 2. Cæteri sancti dicuntur sacrificia: quia partim pro se passi sunt. Sed Christus dicitur holocaustum: quia nihil pro se; sed pro nobis totus incensus est. Hugo Card. hic.

Super unum montium. Gen. 22. 2. Ille mons est charitas: super quem totum negotium Incarnationis, Prædicationis, Passionis, consummatum est. Id. hic.

Memor sit omnis sacrificii tui. Ps. 19. 4. Dicit *omnis*: quia plura sunt ejus sacrificia; videlicet per totam vitam suam ab initio; scilicet ab Incarnatione usque ad mortem. Hugo Card. hic.

Et accipiens calicem &c. Matth. 26. 27. Cur Christus calicem sanguinis sui dat nobis in cœna? S. Gregor. Nyss. hom. 6. de Resurr. per ineffabilem sacrificii modum præoccupat impetum violentorum; ac sese in obligationem, & victimam, offert sacerdos simul, & agnus. Ante realem crucis exhibitionem, mysticam crucem, & passionem, agebat Christus: incruentò modò præoccupat prius agere, quæ postea cruentissimè erant operanda. Sic in horto sanguinem fudit Luc. 22. 44. de quo Hildebertus Turonensis in verbis de Missa: sanguineus sudor crux fuit ante crucem. Sylveira in Luc. 22. q. 34. Sacrificium, quod in cruce obtulit, sic in beneplacito Dei constat acceptabile, & perpetuâ virtute consistit: ut non minus hodie in conspectu Patris oblatio illa sit efficax; quam eâ die, quâ de sacro latere sanguis, & aqua, exivit. S. Cyprian. de Baptismo Christi.

Tota vita Christi in sæculo quasi una solennissima Missa fuit; in qua ipse fuit altare, & templum; sacerdos, & hostia. Dion. Carthuf. ib. de vita Curatorum Act. 16.

Num. II.

Sacrificium incruentum altaris.

Figura.

Appellavitq; nomen loci illius, Dominus videt. Gen. 22. 14. Pulcherrimum, atque sanctissimum est, persentiscere, quemadmodum & usque hodie in monte visionis, id est, in sancta Catholica Ecclesia, offeratur jugiter idem Filius Deo Patri; & tamen immortalis perseveret, atque impassibilis. Etenim huic immolationi jure assimilatur sacrificium Patriarchæ pij, ac fidelis: quia videlicet, sicut illic, ita & hic, non sanguis

funditur filii trucidati manibus crudelium; sed vivus, atque integer, permanens, Deo Patri Filius idem, & manibus præsentatur, & ore tumitur Fidelium. Rupertus l. 6. c. 32. in Gen.

Veni ad montem oliveti, hoc est, ad Missam: quia est ibi multum olei. S. Vinc. Ferr. S. Sabb. post oculi.

Illius æstimatio, pretium.

Non accipiam de domo tua vitulos-quoniam mea sunt omnes fere sylvarum si esuriero, non dicam tibi. Ps. 44. 9. &c. Ergo David, si vis sacrificium tuum gratum Deo esse, aliquid quære, quod non sit Dei: siquidem dicit, omne, quod est in Mundo, suum esse; nec quicquam illorum fore sibi gratum. Quid igitur inveniri potest, quod Dei non sit? Dicam vobis: ipsemet Deus non est suus, si dici fas est. Quomodo suus dicitur, quando per S. Joannem c. 3. 16. dixit: *scilicet Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret?* Et ita sacrificium hoc æterno Patri offerentes, rem nostram illi offerimus; quam ille nobis dedit; ut ei offeramus donum tantâ majestate dignum. Diez Conc. 3. in festo Corp. Christi.

Omnia Divinis (in sacrificio) plena sunt mysteriis; ac singula cœlesti dulcedine redundantia. Innocentius III. P. de sacr. alt. myst. in Procemio.

O liberalis gratia! liberalitas gratiosa! quod Deus dedit in donum, hoc accipit à nobis in munus: eadem enim sacrificia, dona sunt simul, & munera: dona sunt nobis collata; munera sunt à nobis oblata. Id. ib. l. 3. c. 3.

Sacro sanctum altaris Ministerium idcirco Missa dicitur: quia ad placationem inimicitarum, quæ erant inter Deum, & homines, sola valens, & idonea, mittitur legatio. Rupertus de div. offic. l. 2. c. 23.

Missæ vox Latina est, à vulgo potius introducta. Ab Hebræis aliquam habet originem *Missæ* spontanea oblatio. Græcis *Liturgia*, publicum opus. Vel *Mystagogia*, summum Ministerium. Missa à missione precum populi per sacerdotem ad Deum; tum Christum, qui missus à Patre ad nos. Primam Missam celebravit S. Petrus in die Pentecostes; ex diversis authoribus. Gavanthus thesauro factor. rit.

Immolata pro nostra redemptione Caro Christi, totius Trinitatis læticia est. S. Eligius Novion. hom. 8.

In hoc (quòd scilicet consecratio fiat à seculis etiam sacerdotibus) summæ dignationis, divinæ pietatis, & Fidei nostræ, certitudo, & veritas, demonstratur. Quia, si non posset verè consecrari corpus Christi, sive tangi, nisi à justis hominibus; nunquam possemus in hoc Mundo scire, quando esset veraciter Corpus Christi. Sicut ergo Christus corporaliter se portari permisit à diabolo supra pinnaculum templi, & à peccatoribus crucifigi; ita adhuc se permittit tangi, comedi, & contrectari, à peccatoribus. S. Thom. Aqu. Opusc. 2. de sacr. Euch.

Qui Filium recepit in cruce oblatum per manus Judæorum, eundem Filium recipit per imundas

mundas manus pessimorum Sacerdotum consecratum. Broymard. Sacrificium.

Nondum tibi de exercitiorum spiritualium sole, & principe, locutus sum, de Sacratissimo Missæ sacrificio, & sacramentis. Hoc quippe Religionis Christianæ centrum est, devotionis cor, pietatis anima; quodque divinæ charitatis abyssum in se comprehendit. S. Franciscus Salef. Philoth. p. 2. c. 14.

Num. III.

Sacrificii celebratio, celebrans.

In templo S. Praxedis repertum ligneum altare, prope quod lignea tabula cum hac inscriptione: in hoc altari S. Petrus pro vivis, & defunctis, ad augendam Fidelium multitudinem, corpus, & sanguinem, Domini offerebat. Aringus de Roma subterranea, & vetere.

S. Lucianus Presbyteri, & Martyr, in carcere celebrat, pectore ulus pro altari. Boll. 7. Jan.

Num. IV.

Missæ votivæ, ritus, &c.

Ab Albino, institutore missarum votivarum, alius decretus fuit ordo. Nam in Dominica dicebatur Missa de SSS. Trinitate, feria 2. de Sapientia, fer. 3. de Spiritu S. fer. 4. de Charitate, fer. 5. de Angelis, fer. 6. de Cruce, Sabbatho de S. Maria. Nunc verò, feriâ 6. & Sabbatho, immutatis, in feriam 2. translata est Missa de SSS. Trinitate. Feria 3. data angelis. Feria 5. Spiritui S. & SS. Eucharistiæ, Illi quidem fortasse: quia die quintò creationis aquæ, super quas Spiritus S. ferebatur, omne repule, & omne volatile, produxerunt. Huic autem: quia eâ die instituta, Missa de Charitate suffecta est Missa Apostolorum Petri & Pauli, flagrantium præ aliis amore. Gavantus tit. 4.

Albus color significat gloriam, gaudium, & innocentiam. Albò utitur in sacrificio de Sponsa, & Sponso: quia supponitur in sponsa benedicenda carnis integritas. Unde viduæ nuptias non benedicimus. Rubens color seu purpureus, indicat dignitatis gradum aliis excellentiorem: igneam refert naturam. Id. tit. 18.

Crux in altari est tanquam signum Regis in regia, ut Passionis memoriale. Id. tit. 20.

Cur Sacrificium Christus in forma potius panis, & vini, instituerit? quam alterius cibi? quia scilicet hæc duæ res valde aptæ sunt ad institutum, quod Dominus intendebat: ut scilicet incrementum ejus Passionis sacrificium, & fructus, referrent. Nulla enim res plus perfert, antequam ad nostrum nutrimentum perveniat, quam frumentum: metitur enim &c. Eandem ob causam sanguinem suum textit accidentibus vini: quod, ut in nostrum potum cedat, calcatur in torculari, premitur; deferens botrum, seu racemum, in quo ante continebatur, de Ponte tom. 4. de Christi perfect. tr. 2. c. 2.

Introibo ad altare per dilectionem, in montem, ut altiora crederem; in tabernaculum, ut fortiora facerem: introibo ad altare, ut me imolem. S. Bonaventura. in Pl. 42.

Quid significat vinum aquâ mixtum.

Quando in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur; & credentium plebs ei in quem credit, copulatur, & jungitur. S. Isidorus l. 1. de offic. Eccl. c. 18.

Ob id in Sacramento vinum miscetur aquæ, quæ unâ cum sanguine ex ejus latere salutariter fluxit; ut Christo populus fide, & charitate, jungendos daretur intelligi. Philo Carpath. in Cant. 7.

Dum in Sacramento vino aqua miscetur, Christo Fidelis populus incorporatur, & jungitur, S. Cæsarius Arel. hom. 7.

Parum aquæ miscetur: ut significetur fluxus sanguinis, & aquæ, ex latere Christi. Vel, quod populus uniatu Christo. Vel, ut fateamur in una Persona Christi duplicem naturam. Ex Nicephoro l. 1. c. 53. Tum, ut significetur introitus in vitam æternam. Ex Ambrosio apud S. Thomam q. 74. a. 7. Quia verè pauci sunt electi: ideo etiam modicissimum aquæ vult infundi. Concilium Florentinum in instruct. Armen. Aqua in Missis defunctorum non benedicatur: quia significat hoc loco populum Purgatorii, qui jam est in gratia. Gavantus tit. 7.

Idèò aqua vino miscetur, & sic Sacrificium acceptabile Deo offertur: quia tunc gratam Deo Passionis Christi hostiam immolamus; quando & ipsi Passionibus ejus simul patiendo communicamus. Franco Abb. tom. 10. de gratia Dei.

Dum in Sacramentis vino aqua miscetur, Christo Fidelis populus incorporatur, & jungitur. Et quâdam ei copulâ perfectæ charitatis unitur; ut possit dicere cum Apostolo: *quis nos separabit à charitate Christi?* Rom. 8. 35. Sicut ergo separari grana ab illius confecti panis adunatione non possunt; & sicut aqua ad propriam redire substantiam vino permixta jam non potest, sic & Fideles quique, atque sapientes: qui redemptos se Christi sanguine, & Passione, cognoscunt, ita debent, quasi in separabilia membra capiti suo, Fidei conservatione, & ardentissimâ religione, sociari: ut ab eo non voluntate, non necessitate se jungi; non ullâ terrenæ spei ambitione; non ipsâ denique possint morte divelli. Eusebius Emisenus hom. 5. de Pasch. In vini itaque, & aquæ, mixtura, quam indissolubilem unitatem exoptet Jesus, exprimit. Arcones in II. 3. Disc. 3.

§. III.

Sacrificium morale.

Num. I.

Teipsum offer.

Ex Veteri.

Respexit Dominus ad Abel &c. Gen. 4. 4. Unde horum sacrificiorum discrimen? ex differentia offerentium, inquit Rupertus. l. 4. hic. Quia Abel prius cor suum, deinde rem ipsam, obtulit. Cain autem Deo obtulit rem suam, & retinuit sibi cor suum. Seu, ut loquitur Cassiodorus